

115 tis quoad Electionem habere videatur, potest quacunq; formā & modō eligere. Facit. textus in cap. venerabili 37. de Off. deleg. in fin. Pirhing cit. n. 150. Leurenus d. q. 267. resp. 3. Krimer bion. 188. Honor. ab Axel ad h. t. n. 11.

115 Deducitur III. eodem modō distinguendum esse circa variationem personā, si forsitan primum aut secundum scrutinium non sortiatur effectum. Qui enim generale mandatum est adeptus, potest variare, atque aliam personam in primo, aliam in secundo scrutinio nominare. Qui verō speciale mandatum accepit, eandem in omni scrutinio personam designare obligatur.

116 Dico III. Quando mandans sive principalis ante Electionem moritur, vel iure eligendi ex alio capite privatur, nequit procurator ad Electionem procedere, si rei huius notitiam habuerit. Pirhing cit. n. Leurenus d. q. n. 4. Krimer d. l. n. 188. 4. D. Spengler cap. 7. n. 8. Ratio est: quia mandatum, secutā mandantis morte, aut inductā aliā inhabilitate expirat Clem. un. de Procurator. Sinē mandato autem nemo procuratoris officium gerere, vel alterius nomine quidquam agere potest arg. l. Procurator. 1. in princ. ff. eod.

117 Dixi: si rei huius notitiam habuerit. Nam Electio, jam peracta, antequam mors vel privatio innotescat procuratori, tenet, & retractari non potest arg. l. si mandatum 15. ff. Mand. Barbosa f. E. V. lib. 1. cap. 19. n. 111. Tamburinus de Jure Abbat. tom. 1. disp. 5. q. 4. n. 8. Passerinus de Elect. cap. 10. n. 40.

118 Dubitabis I. an absens non possit votum per literas transmittere? Resp. negativam esse receptissimam per textum in sipe cit. cap. si quis 46. §. ut. h. t. in 6. ibi: absens quoque (licet nullus de Collegio velit esse procurator ejusdem, nec ipse, nolente Capitulo, extraneum valeat deputare) non poterit aliquatenus per literas expr. mere votum suum, quod non est ante scrutinium, sed in ipso scrutinio, secreto & sigillatim.

119 Stantimodō exprimentum. Nec ego à tam expressa Juris decisione recedere, solummodò tamen adiungere volo, quòd mihi non videatur esse prohibitum, votum in literis explicare hōc modò, ut absens literas ad Capitulum scribat, eisque schedulam obsignatam inserat, quæ vel à persona, ab absente vel Capitulo nominandā, tempore Electionis in urnam (si ita moris sit) conjiciatur, aut saltem

120a scrutatoribus aperiarur. Ex una siquidem parte juxta n. 108. licet procuratorem constituere cum speciali mandato de certa persona eligenda; quod sanè non aliter procuratori poterit intimari, quàm in literis, ad ipsum ab absente directis. Ex altera verò parte textus & ratio d. cap. §. ut. tantum loquitur de casu, quòd votum per literas ad Capitu-

lulum missas, explicatur, ac sine occlusa scheda toti Capitulo persona eligenda manifestatur, sique in rei veritate votum publicatur ante scrutinium.

Dubitabis II. utrū, si Capitulares præ-122 sentes concluderent, quòd nullus ex illis absentium vota nomine procuratoris suscipere velit, procurator extraneus ab absente, legitime impeditò, constitui nequeat? Resp. procuratorem quidem extraneum etiam in simili casu non posse constitui per cit. cap. §. ut. nihilominus absentem facultatem comperere, agendi de contemptu non lecus, ac si vocatus non esset. arg. cap. bonamemoria 16. §. Electionem h. t. Nil enim in effectu refert, absentem & impeditum non esse vocatum, aut per presentes impedimentum positum, quò minus Electoris muneri per procuratorem satisfacere valeat. P. Pirhing ad h. t. n. 151. P. Schmalzgrueber ibid. sub. n. 29.

Dubitabis III. utrū, si Capitulum à pro-124 curatore requirat juramentum in animam principalis, quòd legitimò detineatur impedimentò, procurator abique speciali mandato jurare possit? Resp. negativè, nisi procurator habeat mandatum generale cum libera per textum in cap. qui ad agendum 4. de Procurator. in 6. ubi ad juramenti præstationem speciale mandatum aut generale cum libera desideratur. Rota p. 19. to. 1. dec. 141. n. 14. Wiestner h. t. n. 101.

* Dubitabis IV. utrū procurator, genera-125 li mandato præditus, possit aut debeat eligere suum principalem, quando is videtur omnium esse dignior? Ratio negandī est, quòd nemo seipsum eligere possit. At, si procurator, generali mandato præditus, suum eligeret principalem, principalis seipsum eligeret ex illa Juris regula quòd facit per alium, est perinde, ac si faciat per seipsum cap. quod facit 72. de R. F. in 6.

Ratio affirmandī est: quia ex cap. si quis 46. 126 §. porro h. t. in 6. nequit ejusmodi procurator alium sub, alium alienò nomine eligere. At qui suo nomine tenetur eligere principalem, ceu digniorem. Ergo etiam alienò nomine. Neque tunc principalis seipsum eligit immediate, sed mediatè; quod veritum non esse, colligitur ex instantia de compromissariis ex cap. cum in Jure 33. h. t.

In puncto Juris crederem, affirmativam 128 non esse improbabile, utpote probam à Rota d. dec. n. 20. & dec. 169. n. ult. Verum de facto, cum ubique ferè locorum vota per schedulas clausas soleant conferri, vix rei practicabilis: quandoquidè procuratori duo quidem catalogi, nomina eligendorū complectentes, erunt consignandi; in eo tamen, qui locò absentis porrigitur, nomen absentis non invenietur.

§. V. Quinam de Collegio prohibeantur eligere?

129 Regula, quam in num. 47. proposui, quòd omnes, qui de Collegio vacantis Ecclesie numerantur, votò activò gaudeant, quàm plures exceptiones patitur. Exce-

130 Exceptio I. est in eo, qui rationis usu non pollet. Quòd numerò sunt infantes, amentes, furiosi, ebrii ebrietate perfecti &c. hi siquidem, cum alia minoris deliberationis negotia peragere non valeant, multò minus Electionem instituire valent. Passerinus d. cap. 10. num. 12. & citati.

131 Si tamen furiosus tempore Electionis intervalla furoris habuisset (id quod exinde non obscure licet deprehendere, quando votum suum non aliter, quàm alius sanæ mentis expressit) valeret Electio, sicut matrimonium, testamentum, alitè actus, tempore lucidæ intercapedinis à furiosis celebrari. Passerinus cit. loc.

132 Morbus vel defectus animi, veluti sunt senectus, obsessio demonis, surditas, cæcitas, vinculum lingue &c. dummodò relinquatur usum rationis & facultatem, signò quòdam externò proferendi votum, non arcent aliquem ab Electione: cum etiam à reliquis actibus, ad humanum commercium spectantibus, neminem excludant, prout idem Passerinus tradit d. cap. 10. num. 16. P. Guetrather in porta honoris cap. 2. §. 6. n. 4. & seqq.

133 Exceptio II. est in impubere, qui ante pubertatem non potest suffragium dare cap. ex eo 32. in pr. h. t. in 6. Est enim discretio fortè non fit incipax, tantam tamen animi deliberationem, quæ ad Electionem est requisita, habere nequit. Passerinus d. cap. 10. n. 10. Barbosa in Collectan. ad cit. cap. ex eo. Leurenus d. cap. 2. q. 255.

134 Exceptio III. est, si elector necdum in Sacro Subdiaconatus Ordine sit constitutus Clem. ut in 2. de Elect. & qualis. Trident. Sess. 22. de reformat. cap. 4. Nil tamen interest, an quis in Subdiaconum post completum 21. ætatis annum de Jure, an verò ante ætatem ex dispensatione promotus sit: licet enim dispensatio strictè interpretatio esse, ac dispensatus ad Ordinem non videatur esse dispensatus ad Electionem arg. cap. si quis 1. §. ille verò de filiis 135 Presbyter. in 6. quia tamen nullibi habetur in Jure, quòd elector debeat excessivè annum vigesimum primum, esto Subdiaconatus ante recipi vel conferri ordinariè nequeat: quia etiam, datò non concessò, eam ætatem alicubi requisitam esse, dispensatio juxta verosimilem dispensantis & supplicantis intentionem suam 136 explicationem & operationem habet: sanè dispensatus ad Ordinem, hōc ipsò quoad ætatem, eaque, que Ordini & ætati connexa sunt, dispensatus esse censetur: cum & supplicans hoc impetrare, & dispensans indulgere verosimiliter voluerit. Tamburin. de J. A. rom. 1. disp. 5. q. 8. n. 50. Covarruv. part. 2. de Sponsal. cap. 8. §. 10. num. 18. P. Wiestner ad h. t. num. 20.

137 Aliud verò dicerem in casu, quòd aliquis super ætate necessariā ad Canonicatum dispensationem impetravit: tunc enim ratione Ordinis, ad vocem in Electione habendam requisiti, dispensatus esse non videtur: quia bene stant simul, esse Canonicum, nec tamen in Electione vocalem esse, ut tenuit Rota in Senensi

Archi-Presbyt. 23. Junii 1606. apud Passerinum d. cap. 10. n. 63. Leuren. cit. loc. q. 260.

Sed quid, si quis ante legitimam ætatem 138 Subdiaconatus Ordine citra dispensationem inauguraretur, anne jus suffragii obtinebit? Distinctione utendum est inter bonam & malam fidem. Si enim bonā fide sit inauguratus, quia videlicet errore ductus, legitimam ætatem se habere arbitratur; poterit eligere per d. Clement. ut in 2. quæ plura non desiderat, quàm Ordinem Subdiaconatus. Sin ma- 139 lā fide sit inauguratus; non est credibile, quòd Jura præmium ex delicto concedere, sed potius in eo, quò quis deliquit, iponere, ac Electionem, Ordini legitime suscepto annexam, denegare velint, saltem post latam sententiam arg. cap. literas 13. de tempor. Ordinat. Tamburin. cit. l. n. 10. Wiestner ubi supra num. 21. Leuren. cit. q. 259.

IV. exceptio est, quando elector est excom- 140 municatus, non quidem excommunicatione minori per cap. illa 39. h. t. hæc enim solā Sacramentorum susceptione passivā privat excommunicatus, relicta potestate & officio cap. fin. de Cleric. excom. sed excommunicatione majori cap. constitutus 23. de Appellat. quæ sola omni jurisdictionis & officii exercitiò privat cap. un. in pr. ne Sede vacans, in 6. Gonzalez in d. cap. illa n. 4. & seq. Covarruv. in cap. alma mater de sent. excomm. part. 1. §. 8. n. 3. P. König ad h. t. n. 111. Leuren. d. l. q. 269.

Neque obstat vel d. cap. illa 39. h. t. ubi S. 141 Pontifex asserit, se ex plenitudine potestatis defectum, si quis fortè intervenisset in Electione, ab excommunicatis excommunicatione minori adornatā, supplere: vel cap. ad probandum 24. de Sent. & re judic. ubi sententia, quam unus excommunicatus unā cum aliis Judicibus non-excommunicatis tulerat, pronuntiatur esse nulla: vel Clem. ne Romani §. cæterum h. t. ubi Electio Romani Pontificis ex eo non vitari dicitur, quòd aliqui de Cardinalibus excommunicatione majori reperiantur ligati. Nam imprimis illa clausula de plenitudine potestatis in d. cap. illa non ex necessitate, sed ex abundantia ad cautelam est adjecta. Deinde cap. ad probandum non loquitur de ex- 143 communicatis excommunicatione minori, sed majori arg. cap. si quem 59. de Sent. excomm. ubi sub excommunicatione, simpliciter prolata, major intelligitur: Gonzalez cit. num. 5. Denique §. cæterum d. Clem. ad solam Electionem 144 nem S. Pontificis pertinet, in qua, ne schismata, divisiones, aut alia similia sequantur, non expedire visum est, Electionem, ob excommunicati cujuspiam interventum, annullare. Idem num. 6.

V. exceptio est in electore suspenso, vel ab 145 officio simpliciter, vel ab officio & beneficio simul (idem est de interdictis personaliter) cap. cum dilectus 8. §. quia nobis constitit &c. de Constitud. cap. cum inter 16. h. t. Gonzalez ibid. num. 21. Leuren. q. 276. P. König cit. loc. num. 17. Ratio est: quia talis suspensio reddit quem inhabilem ad actus officii, qualis est Electio,

- 146 Electio, gerendos. Neque reclamantur textus in cap. cum in cunctis 7. §. ult. cap. quisquis 43. h. t. in quorum priori Pontifex distinctionem inter suspensionem & privationem juris eligendi agnoscit; in posteriori autem videtur innuere, in suspensis ab officio privationem juris eligendi specificè ponendam esse.
- 147 Nam primus textus, cum loquatur de suspensione indefinite, adeoque de sola suspensione à beneficio, non potuisset includere privationem juris eligendi, nisi specificè expressisset.
- 148 Alter verò, licet suspensionem ab officiis & beneficiis eligentibus per abusum secularis potestatis interminet; ac eò ipsò jus eligendi in consequentiam juris adimat: attamen de privatione hujus distinctam mentionem fecit, quia voluit hanc pœnam ipsò iure incurri; priorem verò solum per sententiam, uti patefit ex modo loquendi, & gnæviter expendi laud. Gonzalez num. 23.
- 149 Notant verò Passerinus d. cap. n. 76. Zösius ad h. t. n. 10. Leuren. q. 270. & seqq. Engel ad h. t. num. 7. in fin. König cit. n. 12. & hodierni Canonistæ communiter, suspensos, interdictos, & excommunicatos post Extravag. Martini V. quæ incipit ad evitanda scandala, nisi denunciati fuerint, aut notorii Clericorum percussores, ad Electionem admitti potest.
- 150 Licet enim in d. Extravag. non tam excommunicatis, quam non-excommunicatis favor & gratia sit facta: nihilominus quia Electio activa non tantum eligentium, sed ipsius etiam Ecclesiæ commodum respicit; idè tales excommunicati non sine ratione admittuntur, prout antehac observavit Covarruv. in cap. aliam mater de sent. excommuni. p. 1. §. 7. n. 10.
- 151 Aliqui cum Laymann de pralat. Elect. q. 25. exceptionem faciunt irregularibus ob textum in cap. si qui in Ecclesia 18. §. is verò de sent. excommunicat. in 6. Quibus accedere non im: partim, quia irregularitas solummodò functionibus Ordinis, non item exercitiò juris; 152 dictionis & officii irregularitatem privat: partim quia cit. cap. non tam favet, quam repugnat, adversè sententiæ, dum celebrantes in loco interdicti primò coërcet irregularitate; dehinc privatione vocis activæ & passivæ castigat: luculentò indicio, irregularitatem privationem ex sua natura connexam non esse;
- 153 partim denique, quia constitutiones pœnales extra orbitam & terminos, intra quos veritatem extendendæ non sunt. Tambur. cit. tom. 1. disp. 5. q. 8. num. 14. & 15. Passerini. d. cap. 10. num. 104.
- 154 VI. exceptio opponitur illis, qui per abusum secularis potestatis Electionem fieri permiserunt; admittendò videlicet Principem Laicum, & jusve Commissarios, ad ipsum Electionis negotium, cum autoritate tractant;
- 155 dum cap. quisquis 43. h. t. Cum enim Laici jura spiritualia tractare non debeant cap. decernimus 2. de Judic. Electionis quoque tractatui semet ingerere non debent cap. sacrosancta 51. cap. Adalfana 56. h. t. Repetè dicta à num. 58.

Equidem in cap. Abbatem 4. XVIII. q. 2. ait Pelagius: Abbatem illum volumus ordinari, quem sibi de sua Congregatione & Monachorum Electio, & possessionis Dominus, & (quod magis observandum est) ordo vita ac meritum poposcerit ordinari. Sed in sano sensu exaudiendus est, ut vel de Ju. 157 re antiquò juxta num. 53. vel de Jure hodiernò locutus fuisset cenleatur, quò Electio jam absoluta Principi vel Domino Territorii præsentari debet per d. cap. sacrosancta 51. h. t.

VII. exceptio provenit ex infamia; non quidem facti: ista etenim magis ex ore & ingenio hominum, quam ex Jure dependet; sed infamia Juris, quæ, sicut obstruit dignitatum portas cap. infamibus 87. de R. J. in 6. ita numerum civilium & actuum legitimum (quibus Electionem accenseri posse, elucescit ex cap. solè 2. in fin. de sent. excommunicat. in 6.) impotentiam operatur. Leurenus quæst. 279. num. 2.

Et hæc sunt potissimæ exceptiones, quæ electoribus quibuscunque obstant, quò minus ad Electionem decurrere valeant. Quænam in specie Regularibus obtinet, infra in Sect. 7. discutietur.

Quæres autem I. an, si quis ex Electoribus ratione delicti voce activè privatus sit, possit à reliquis coelectoribus repelli?

Resp. cum distinctione. Vel enim privatio est pœna ferenda sententiæ, vel lata. Si ferenda; ante sententiam non obligat, neque jus eligendi demit electoribus. Si lata; videndum est, an sententia, saltem declaratoria criminis, præcesserit, nec ne? Si primum; elector ab eligendo repellit potest, & debet. Si secundo; potest quidem & debet admitti ad votum conferendum, ita tamen ut secuta postmodum sententia retrahatur ad tempus commissi criminis, votumque, antea collatum, retrò invaldet, argumentò eorum, quæ de Legibus pœnalibus in reat. de Jure Legali cap. 1. à n. 268. conclusa sunt Passerinus d. cap. 10. num. 133. & seq. P. Wiestner ad h. t. num. 38. & seqq. P. Reiffenstuel eod. tit. n. 171. Verum hæc ita procedunt in Electionibus non-secretis; in secretis autem, in quibus eligentium nomina nequidem scrutatoribus innotescunt, ob manifestum nullitatis periculum, procedere vix posse, existimo.

Quæres II. an, si quis existat in quasi-possessione juris eligendi, eique desuper lis & exceptio moveatur, lite pendente possit, & debeat ad Electionem admitti?

Resp. affirmativè per textum in cap. querelam 24. h. t. cap. cum Ecclesia 3. cap. cum olim 7. de Causa possess. & propriet. Rota p. 11. dec. 73. 165 num. 19. Ratio est: quia, lite pendente, non debet aliquis commodò suæ possessionis privari cap. à memoria 1. & seq. Ut lite pend. nihil innov. P. Engel h. t. n. 3. Gonzalez in d. cap. querelam n. 9. P. Wiestner d. t. num. 56.

Dices I. in cap. cum venissent 2. de integ. Re. 166 stium. proponitur casus, quò Religiosi erant in quasi-possessione juris eligendi; & tamen Electio, ab illis concorditer facta, nec confirmatur,

mat, nec infirmatur à Pontifice. Ergo, qui solum in possessione vel quasi-juris eligendi existunt, validè nequeunt eligere.

167 Resp. in cit. textu controversiam fuisse super ipsa possessione juris eligendi, quæ se à Religiosis esse spoliatum, Episcopus conquerebatur: in hujusmodi casu autem neutra pars colligantiam eligere potest, cum possessio dubia jus certè eligendi conferre non queat. Gonzalez alleg. loc. n. 13.

168 Dices II. in cap. ex literis 7. de Jure Patron. deciditur de jure patronatùs, quòd Clericus ab eo, qui jus patronatùs bonà fide possidet, ad beneficium præsentatur, atque ante litem inchoatam ab Episcopo institutus, tolerari debeat. Ergo à sensu contrario inferri videtur, quòd præsentatus & institutus post litem inchoatam tolerari non debeat.

169 Resp. negandò suppositum, quòd in recitato textu de possessore juris Patronatùs sermo sit. Erat enim lis inter emphyteutam & dominum directum (erat Abbatissa) villæ, cui jus patronatùs annexum esse, emphyteuta contendebat, dominus directus negabat. Hinc super proprietate utrinque controversia versabatur, nullò actu possessoriò antecedente ab emphyteuta exercitò. Quòd verò institutus ante litem inchoatam toleretur, id ratione bonæ fidei & purativi tituli, quem emphyteuta habere cenleatur, fortassis accidit per cap. consultationibus 19. eod.

171 Dices III. qui tenetur fructus restituere, non potest eos percipere. Sed possessori juris eligendi tenetur omnes fructus, post litem intentatam perceptos, restituere quia tunc temporis incipit esse malæ fidei possessor l. certum 22. Cod. de R. F. Ergo non potest fructus hujus juris, qui consistunt in ipso Electionis usu & exercitio, percipere.

172 Resp. cum Gonzalez cit. l. n. 14. discursum, modò formatum, verificari de fructibus temporalibus & parimonialibus, ex quibus possessor evadit locupletior; neutiquam verò de fructibus politicis & honorificis, è quibus nul-

la locupletatio speratur: pro qua responsione confer textus in cap. à memoria 1. Ut lite pendente &c.

Quæres III. an tota Electio sit irrita, quando ab inhabilibus simul & inhabilibus est facta?

Resp. I. si vota inhabilium faciant majorem partem, Electionem esse omninò irritam arg. cap. ad probandum 24. de Sent. & rejudic. Ratio est: quia, dum inhabilium vota perinde habentur, ac si collata non fuissent, Electio ab inhabilibus, majorem partem facientibus, non est facta à majori parte. Ergo valere non potest per cap. quia propter 42. h. t. ubi majoris partis assensus desideratur. Clariss. D. Spengler cap. 3. num. 23. Passerinus d. cap. 10. num. 65. P. Wiestner hic n. 25.

Resp. II. si, demptis inhabilium votis, nihilominus majora in electum ceciderint, Electionem subsistere. Clariss. D. Joannes Phil. Braun ad h. t. concl. 1. p. 52. arg. cap. 37. de R. F. in 6. eò quòd utile per inuicem vitari non debeat. Verum, ut video, communiori DD. sententiæ hæc responsio contrariatur, nisi restringatur ad talem hypothèsin, quâ inhabiles ignorantur ante admittit.

Si enim scienter admitti sint, integra DD. phalanx totam Electionem invalidat, vel ipsò jure, ut legere est apud Barbofam J. E. F. lib. 1. cap. 19. num. 57. Passerinum d. n. 65. Leurenium q. 273. vel sententiâ à Superiore pronuntiandâ, ut tenet Layman q. 26. Spengler d. n. 23. Pirhing h. t. n. 25. in fin. propter textum in d. cap. ad probandum 24. de Sent. & rejud. cap. cum dilectis 8. de Consecrat. cap. ult. de Procurator. & rationem, quòd electores habiles hòc ipsò cum admittant, scienter inhabiles. præsertim excommunicatos, alieni delicti pœnæque socios & participes se reddant, aut locum devolutioni ad Superiorem faciant. Itaque doctrina à fortiori obtinet in Electionibus secretis, in quibus, cum eligentium nomina maneant abscondita, juxta num. 163. perquam difficile videtur, habilibus & inhabilibus vota discernere.

SECTIO III.

De Eligendis.

SUMMARIA.

178. In eligendis requiritur certa ætas. 179. & seq. Nempe in Episcopis 30. anni. 181. & seq. In Prælati inferioribus, habentibus curam animarum, 25. anni inchoati. 183. In aliis 22. completis. 184. & seq. Excessus ætatis tunc obstat, quando resignatio dat causam. 186. & seqq. Discutitur problema, num seniores junioribus sint præferendi? 197. Resolutio problematis. 198. Requiritur etiam in eligendis scientia. 199. Sufficiens est necessaria. 200. & seq. Eminens est optanda. 202. & seq. Sed non absolute necessaria. 205. & seqq. Ventilatur aliud problema, num Theologi Canonistæ sint anteposendi? 211. & seqq. Suggestur aliqua contra P. SCHMIDT JURISPR. CAN. CIV. TOM. I.

trariarum opinionum conciliatio. 214. & seqq. Novum problema venit in disputationem: an magis ad doctrinam quam pietatem sit respiciendum? 221. Temperamentum indigitur. 222. Requiritur etiam in eligendis morum gravitas. 223. & seq. In specie integritas fidei. 225. Honestas naturalis. 226. Sacer Ordo. 227. & seqq. Diversa virtutes. 231. & seqq. Discutitur, an habitus corporis aliquid conferat vel detrahat Electioni? 239. & seqq. Item an nobilitas sit spectanda? 248. Infamia etiam facti impedimentum ponit Electioni. 249. & seq. Ambitio. 251. Simonia. 252. & seq. Censura Ecclesiastica. 254. Irregularitas. 255. Rr Confen-

Consensus in absum potestatis secularis. 256. Recentio beneficium incomparabilem. 257. & seqq. Cessatio Electionis ob vitium persona. 260. Nemo potest eligere seipsum. 261. & seqq. Disputatur aliquis casus. 266. & seqq. Laborans impedimento occulto non potest in Electionem consentire. 270. & seqq. Eligendus est dignior. 277. In omnibus Prælaturis. 278.

§. I.

De Etate Eligendorum.

178 Objectum Electionis Canonice est persona eligenda; quam idoneam, ac nullò impedimento ligatam esse debere, supra in num. 10. meminimus. Censetur autem impedimento immunis, non tantum, si vitiosis quibusdam qualitatibus careat, sed etiam si positivis quibusdam prerogativis excellat. Inter has non postrema est ætatis maturitas, ut loquitur Alexander III. in cap. cum in cunctis 7. in pr. h. t. cujus quantitatem mox determino, &

179 Dico I. Ad Episcopatum requiritur annus trigessimus completus. Textus in d. cap. cum in cunctis 7. in pr. h. t. ubi statuitur, ut nullus in Episcopatum eligatur, nisi qui trigessimum ætatis annum exegerit. Qui loquendi modus abundè declarat, non sufficere, trigessimum annum inchoatum esse, sed completum requiri. Consonat Trident. Concil. sess. 7. de reformat. cap. 1. & sess. 24. cap. 12. Passerinus cap. 25. n. 434.

180 Rationem hujus constitutionis assignat Gonzalez in commentar. cit. cap. n. 11. quia ætas tricenaria creditur esse naturalis, desecrata, atque ad gerenda munera publica sufficiens; quemadmodum & olim in Republica Romana Prætorum ante trigessimum annum nemo consecutus est; & in Hebræa pollicita nullus ante hanc ætatem concionem ad populum dicitur, Doctoris Prophetæve fungi munere poterat; & ipsa Divina Sapientia unà cum suo Sanctissimo Præcuratore, posteaquam 30. annos habuerat, prædicationis officium obire occupat, ut studiosè animadvertunt PP. Concilii Neocæsariensis, relati in cap. presbyter 4. Dist. 78.

181 Dico II. Ad Prælaturas, quibus antmarum cura est annexa, annus vigesimus quintus inchoatus requiritur, & sufficit. Textus in d. cap. cum in cunctis §. inferiora ibi: nisi jam vigesimum quintum ætatis annum atigerit. Concordat Tridentina Synodus sess. 27. de Reformat. cap. 22. Ratio est: quia, tamen primitivis Ecclesiæ sæculis major & provecior ætas in Prælati, animarum Rectioribus, exacta fuerit per textus in cap. si quis 1. cap. nemo presbyter 2. cap. ult. Dist. 78. at tamen, succedente tempore, minor ætas, nempe 25. annorum idonea reputabatur, ut quæ alias in Jure vocatur *marura* & legitima l. cum filiofamilias 50. §. pen. & ult. ff. de Legat. 3. nec non plena & integral. ad Republicam 8. ff. de Muer. & honor. Gonzalez in commentar. ad cit. §. inferiora n. 13.

& seq. Declaratur, quoniam si dignior? 280. Ad inquisitionem dignioris opus est mediocri diligentia. 281. & seq. Non licet nisi scientiâ Confessionis. 283. & seq. Nec scientiâ secretâ. 285. & seq. Licet eligere minus dignum ad impediendam Electionem indigni. 287. & seq. Valet de Jure Electio digni in concursu dignioris.

Dico III. Ad dignitates & Personatus, quibus animarum cura non subest, 22. anni completi desiderantur. Textus in Trid. Concil. Sess. 24. de reformat. cap. 12. ibi: 22. annis non minores. Fagnanus in cit. cap. cum in cunctis n. 37. & 48. Lessius de J. & J. lib. 2. cap. 34. num. 108. Reiffenstuel h. t. n. 224.

Dubitabis tamen I. an, sicut defectus, ita etiam excessus ætatis, seu senium, obstat Electioni?

Resp. certum ætatis excedentis terminum non legi præfixum in Jure; & hoc ideo, quia canities mentis, & menti diversò omnino tempore succrescit, & decrevit; quibusdam quinquagesimo, aliis sexagesimo, septuagesimo, aut octogesimo annò &c. Clarif. P. Guetrather cap. 3. §. 3. num. 10. Censetur tamen, regulam, quam ex D. Thoma affert Passerinus d. cap. 75. n. 441. in oculos habendam esse, quòd, si talis & tanta sit senectus, quæ Prælatum vel ad resignandum, vel ad petendum Coadjutorem obligaret, multò gravius eundem obliget ad non-acceptandam Prælaturam arg. cap. un. Dist. 85. & cap. nisi 10. §. alia verò causa est de Renuciat. quia non rectè accipitur, quod ritè quòd obire vel retinere nequit.

Dubitabis II. utrum in Electionibus ad Prælaturas Ecclesiasticas seniores junioribus; vel juniores senioribus antepondi sint? De hoc dubio non neminem scripissè, refert Clarif. D. Braun tract. de Magistratu cap. 5. §. 2. n. 5. quid hic agam, quid dicam? nescio: nam, si juvenes excludo, Scipionis virgulam; sin admitto, Catonis censuram extimesco. Ego, priusquam quid definiam, rationes pro utraque parte dabò.

Pro senioribus facit I. Divina Scriptura Job. 12. §. 12. in antiquis est sapientia, & in multa tempore prudentia. II. Jus Canonicum in cap. licet 10. de Renuciat. quia deficiente conditione corporæ, fervor spiritus in sublimiora conscendit.

III. ratio. Nam in senibus multa experientia, & tantæ matris nobilissima filia experientia, & tantæ matris nobilissima filia experientia, reperitur: in juvenibus econtrà magna sine experientia imprudentia. Præterea in senectute maturitas; in juventute cruditas: in illa secretorum superstitiosa tenacitas; in hac aperta mentis & frontis nuditas: in illa auctoritas, gravitas, probitas; in illa levitas, instabilitas, dissolutio sedem invenit. IV. Gentium & Ecclesiæ diuturnus usus, dum seniores, velut saniores, in utraque Republica plerum-

plerumque fascibus admoti; juvenes remoti sunt, ne, ut scitè dixisse fertur Xenophon, sicuti novelli Citharædi multas chordas perdunt, ita cupidi juvenes Rempublicam.

191 Pro junioribus stat I. quia sapientia neque ex rugis, quæ aliquando sunt nuge; neque ex canis, qui subinde sunt vani; neque ex annorum numero, qui non nunquam sine valore & pretio est, sed ex animi candore, judicii maturitate, meritorum pondere æstimari de-

192 bet. Unde in libro Sapientia cap. 4. scriptum extat: senectus venerabilis est, non disjuncta; neque annorum numerò computata. Cui autem sunt sensus homini, & atas senectutis vitæ immaculata. Notatque Tamburin. de F. A. tom. 1. dist. §. 9. n. 9. in S. Scriptura non illos dici seniores, qui ætate, sed qui sapientiâ efflores-

193 re. II. quia virtus occupanda est, dum viget, atque in flore est: si jam decrepita sit, citius luctum, quam fructum sperandum habemus: indeque jam apud Romanos atas non distinguebatur, quin primò inventâ consulatum ac dicitur: inirent, ut loquitur Tacitus Annal. 194 lib. 11. cap. 22. III. quia senum morosa torvitas non tantum moratur negotia, sed

etiam subditos terret, avertitque, ut nolente animò iusta faciant, quæ à compositâ in minas facie acceperunt: juvenes è diametro, uti facilius temperare & serenare frontem, ac deaurare verba possunt, ita, dum animos subditorum blandâ tractatione sibi devinctunt, manus & pedes ad obsequendum faciunt paratos. IV. quia non desunt exempla sacra, quibus juniores ad infulas evecti, feliciter gubernârunt. Tale est in Timotheo, de quo Apostolus 1. ad Timoth. 4. & ibi D. Ambrosius, rationem reddens, quia, quantum ad ætatem pertinet, juvenis erat; quantum ad mores & conversationem, senior & gravis. Tale est 196 in Paulo Constantinopolitano Archi-Episcopo, qui, nisi ætate admodum juvenis, ita providentiâ & consilio senex erat. Gonzalez ad cit. cap. cum in cunctis in pr. n. 10.

Rationes dedit pro utraque parte. Si judicium exspectes; tale accipe, quale laudatus Braun in promovendis ad Magistratus cit. l. num. 5. in fine subjungit: videlicet nec senes nimium, nec nimis juvenes ad Ecclesiasticas Prælaturas admoveandos esse: ne isti cum damno Reipublicæ dicant sapere, illi desperare.

§. II.

De Literarum Scientiâ, in Eligendo requisitâ.

198 In sæpe cit. cap. cum in cunctis in pr. præter ætatis maturitatem requiritur in eligendo literarum scientia. Hanc Abbas in cit. cap. n. 4. & cum secuti Interpretes cum Fagnano ibid. n. 138. dividunt in eminentem, mediocrem, & sufficiens. Scientia eminentis dicitur, quæ quis subtile etiam & difficiles quæstiones, sine librorum revolutione, ex tempore scit discutere & resolvere. Scientia mediocris est, quæ præditis ordinariis difficultatibus in promptu enodat; majores autem ex Librorum & Doctorum lectione complanare novit. Scientia sufficiens est, quando aliquis ea intelligit, quæ sibi vi muneris agenda incumbunt.

199 Quòd scientia sufficiens ad quamlibet Prælaturam Ecclesiasticam sit necessaria, conveniunt omnes DD. cum D. Thoma, Panormitano, Fagnano, Gonzalez, & repetentibus in cit. cap. cum in cunctis: quia Jus Divinum & Naturale volunt, ut tantam unusquisque scientiam habeat, quanta ad munus suum ritè peragendum ipsi necessaria est. Passerinus 200 cap. 25. n. 16. Scientia verò eminentis, est magno per se optanda, præsertim in Episcopis, quos Tridentinum Concilium sess. 22. de Reformat. cap. 2. voluit esse Doctores aut Licentiatos in Sacra Theologia vel Jure Canonico, aut saltem publicò alicujus Academiæ testimonio idoneos ad alios docendos: quia videlicet, sicuti Angeli superiores in caelis habent pleniorè notitiam de Divinis, quam inferiores; ita & Episcopi, qui in Hierarchia Ecclesiastica sunt quasi superiores Angeli, majorem Prælati inferioribus scientiam habere debent, ut ex D. Thoma Angelico notat Fagnanus cit. l. n. 141 Nihilominus etiam in

Episcopis sufficiens scientia sufficit, sicut idem Concilium Tridentinum cit. l. insinuat, dum talem in Episcopis scientiam exigit, ut muneri sibi injungendi necessitati possint satisficere. Aptissime ad propositum Innocentius III. in cap. nisi 10. de Renuciat. est, ait, desideranda sit scientia eminentis in pastore. inter amem est competens toleranda: quia secundum Apostolum scientia inflat, charitas edificat: & ideo imperfectum scientia potest supplere perfectio charitatis. Similis textus est in cap. cum nobis 19. §. Illius quoque h. t. Ratio hujus rei dari potest: quia sæpe per hæbetiores quam acutiore melius administrant, uti ex Thucyd. lib. 3. notat Braun de Magistratu cap. 4. §. 4. n. 5. dum nempe ignea illa & ingentia ingenia subinde novandis quam gerendis rebus aptiora sunt, teste Curtio lib. 4. Hæc expedita sunt. Sed

Disceptatur I. an Theologus Canonistæ an Canonistæ Theologo prælationem in Electione cedere debeat? Qui Theologus favent, ita argunt. Prælati Ecclesiæ (Episcopi præprimis) debent habere scientiam Legis Divinæ, juxta illud Jerem. 3. dabo vobis Pastores juxta cor meum, qui pascent vos scientiâ & doctrinâ, & illud Malactia 2. labia Sacerdotis custodiant scientiam, & legem requirunt ex ore ejus. At quomodò discant Legem Divinam sine adjutorio Theologiæ? Deinde Prælatorum officium est, docere, & prædicare suis subditis, quæ ratione in via veritatis & justitiæ ambulandum sit, teste D. Ambrosio lib. 1. de Offic. cap. 1. ibi: cum jam effugere non possumus officium docendi, quod nobis fugientibus imposuit Sacerdotis necessitudo. Ergo studio Theologo invigilent, ac docendi prædicandique munus exinde

207 exinde perdiscant, oportet. Denique & errores contra fidem corrigere, & hereticos vel convincere, vel coercere tenentur Episcopi. Sicque Theologia peritiam habeant, opus est, quâ sine ne quidem agnosci, nedum extirpari possint hæreses.

208 Qui Canonibus patrocinantur, hunc in modum differunt. Prælatorum Ecclesiæ potestas duplex est, Ordinis & Jurisdictionis. Ea, quæ est Ordinis, supponit scientiam Theologicam, sed talem, quæ ex SS. Canonibus haberi potest. Ea, quæ est Jurisdictionis, sine noticia SS. Canonum exerceri nequit. Dum enim per Jurisdictionem Leges, antehæc factæ; ad casus particulares applicantur, præexistere debet in jus dicente Legum Ecclesiasticarum scientia. Quâ de causâ Cælestinus Papa in cap. nulli 4. Dist. 38. decrevit: nulli Sacerdotum liceat Canones ignorare, nec quidquam scire, quod Patrum possit regulis obviare.

209 Ad hæc obligantur idem Prælati, ut jura Ecclesiarum & Ecclesiasticorum adversus quoscumque impugnatores defendant: at quibus armis, nisi scholasticis, ex armamentario Jurisprudentiæ desumptis? Præterea hoc ipsum indicat Tridentinum Concilium Sess. 14. de Reform. cap. 16. quia, dum Sede Episcopali vacante Officialem seu Vicarium infra octo dies constituit mandatum, eum in jure Canonico Doctorem vel Licentiatum esse desiderat. Cur ita? Nisi quia & Episcopus, cujus vices gerit, ejusdem disciplinæ peritus esse, atque in foro Jurisdictionem administrare debet?

211 In hæc opinio varietate, sentio quidem cum Clarissimo P. Wiefner ad tit. de ar. & qual. & ord. proficiend. n. 35. omni conatu eò admittendum esse, ut facultatis utriusque notitiâ sit imbutus Prælati Ecclesiasticus, juxta Concilii Toletani constitutionem relata in cap. ignorantia 1. Dist. 38. ibi: sciatis igitur Sacerdotes Scripturas Sanctas & Canones &c. Sitamen utriusque scientiæ concordia in uno subiecto reperiri nequeat, D. Joan. Capistranus apud & cum P. Reiffenstuel in præm. Jur. Can. n. 46. purum canonistam puro Theologo præponit; quam sententiam quoad Prælaturas inferiores, quibus animarum cura & Jurisdictio cognata est, Panormitanus in cap. cum in cur.

212 His 7. b. r. n. 4. recipit. Verùm quoad Episcopatum communior sententia, quam amplectuntur cit. Panormitanus, Felin. Hostiens. & alii apud & cum Pax Jordan Elucubr. div. præjud. 13. n. 2. Theologum Canonistæ præferit in locis, in quibus Divini Verbi prædicatio, fidei Catholicæ defensio & hereticorum conversio necessaria; in aliis locis, ubi magis tuenda & administranda est Jurisdictio, Canonistam Theologo antepositum. Cui distinctioni favet Tridentinum, dum ad Episcopatum æquè judicatum idoneum Canonistam ac Theologum cit. Sess. 22. de Reformat. cap. 2.

214 Discipatur II. cujusnam in Electionibus ad Prælaturas major habenda consideratio, prohibitis, ad doctrinam? Probitati suffragium conferunt motiva sequentia: I. exemplum

Salvatoris, non doctos sæculi, sed simplices piscatores in Pastores & Apostolos eligentis. II. oraculum Paulianum: *littera occidit, spiritus vivificat.* III. dictum D. Augustini, auditâ D. Antonii vitâ, exclamantis: *quis est hoc, quod audisti surgenti indolenti, & calam rapinanti; & nos cum doctrinis nostris sine corde sumus, ubi voluntur in carne & sanguine.* IV. textus, supra citatus ex cap. nisi 10. de Renunciat. ubi, postquam adduxerat Pontifex sententiam Apostoli: *scientia inflat, charitas adificat;* mox addit: *& idèo imperfectum scientia potest supplere perfectum charitatis.* V. ratio: quia Prælati tenentur vel esse perfecti in virtute, sicut Episcopi; vel saltem inferiores ad perfectionem virtutis animare, non tantum verbis, quod emortuum & elanguidum est; sed & exemplo, quod inefficax est; maxime in Magnis, in quibus velut magnes trahit ad sequelem, ut ferè non tam imperio nobis opus sit, quam exemplo. Plin. in panegyr. Confirmat Os Divinum Ecclesiasticum. 10. *quæ est rector civitatis, tales & inhabitantes eam.* Ergo major probitatis quam doctrinæ consideratio habenda est.

Doctrinam palmam adscribitur isthæc arguenda. I. ex cap. cum sit 14. de Aet. & qual. & ord. proficiend. desumitur, ubi Innocent. III. ex Concilio Generali proponit ab initio, esse *artem artium regimem animarum,* & in fine concludit: *sanctius est paucos bonos, quam multos malos habere ministros: quia, si cæcus cacum ducit, ambo in fossam dilabuntur.* II. ex sacris litteris deprimatur, ubi *Os 4.* dicitur: *quia scientiam a te repulisti, ego te reprobavi, ne sacerdotio mihi fungaris;* & ad *Ephef. 4.* habetur: *ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Evangelistas, alios autem Pastores & Doctores.* Quo in loco D. Lanfrancus studiosè observat, non gratis Doctores & Pastores esse coniunctos, nempe, ut non alios Pastores, alios Doctores intelligamus. Sed idèo, cum prædixisset, Pastores, subiunxit, & Doctores, ut intelligant Pastores, ad officium suum pertinere doctrinam. III. ex doctrina Christi, apud Mathæum cap. 23. præcipientis, ut Superiorem Ecclesiæ non vita & conversatio, sed doctrina attendatur; neque, quod illi faciunt, fiat, sed quod faciendum esse docent. IV. ex D. Isidoro lib. de Offic. Ecclesiastic. cap. 5. dicente: *Episcopo etiam scientia Scripturarum necessaria est: quia, si Episcopi tantum sancta sit vita, sibi soli prodest sic vivere.* Porro si doctrinâ & sermone fuerit eruditus, potest ceteros quoque instruere & docere suos, & adversarios convincere; qui, misere futuri fuerint, atque convicti, facile possunt simplicium corda pervertere.

V. ex D. Bernar. do in tract. de Ord. Vita dicente: *post indoctos Prælatos malosque in S. Ecclesia nulla pestis ad necandum infirmis valentior invenitur.* Ethinc Leo Pontifex in cap. statimimus 8. Dist. 61. valde iniquum est, inquit, & absurdum, si imperiti Magistris, novi antiquis & rudis præferantur emeritis.

Quâ semita in hoc opinio bivio sit cedendum? Tam promptè non sitam dixeris

ris. Ego sic puto. Si eligendus honestæ vitæ, ac insignis literaturæ, illius majorem habendam esse rationem, quam alterius, qui vitæ quidem encomiè excellens, doctrinâ tamen parum est conspicuus. Et huc trahunt

argumenta secundæ sententiæ. Sin eligendus eruditionis gloriâ præcellat, sed virtutis & pietatis curam negligat, mallem habere probum, quam doctum Prælatum. Et hoc suadent motiva primæ sententiæ.

§. III.

De Morum gravitate.

Præter scientiam literarum veluti in anteriori jam delibatum est, Morum gravitas in eligendo juxta sæpe d. cap. cum in cunctis in pr. postulatur. Ad hæc

Reduco I integritatem fidei, ut scilicet eligendus Fidem Catholicam & ipsemet ab aliquo tempore sit professus (cùm ex præcepto Apostolico non oporteat Episcopum esse Neophyturn 1. ad Timoth. 3.) & ex Catholicis parentibus vitam & sanguinem acceperit: dum juxta cap. quicumque 2. §. heretici & cap. statutum 15. de Heretic. in 6. progeniti ex hereticis usque ad secundam generationem in paternâ; in materna autem linea usque ad primam generationem à beneficiis & officiis Ecclesiasticis exclusi sunt; nisi parentes eorum emendati, & Ecclesiæ ante obitum reconciliati fuerint. Quam exclusionem Covarruv. lib. 2. Var. resolut. cap. 8. n. 5. circa fin. contra Calderinum, & alios ibidem nominatos, cùm Zoëlio ad tit. de Heretic. num. 10. extendit ad filios, etiam ante hæresin paternam genitos: partim quia in cit. cap. statutum nihil referre dicitur quoad hæc exclusionem, utrum parentes ut heretici vixerint, vel ut tales decesserint: partim quia cum veritate hereticorum filii & illi nuncupantur, qui post hæresin parentum sunt geniti: neque enim, ut ait Zoëlius, hic agitur de peccato originali, aut alio impedimento, quod per generationem transmittitur; sed, ut gravius puniatur delictum, non tantum in delinquentes, sed eorum quoque liberos, SS. Canonum vindictâ exardescit.

Reduco II. honestatem natalium per textum in cap. innovat. 20. b. r. & cap. ut filii 1. de Filiis presbyter. esto enim generare, non generari ex illicito concubitu, culpa sit, maculam tamen contrahere censetur spiritui: vel quia paternæ incontinentiæ hæredes fore præsumuntur; vel quia hominibus levis notæ accenseri leguntur per l. 27. Cod. de Inoff. testam. Et idèo in cap. si gens 10. Dist. 56. nec DEO amabiles, nec hominibus honorabiles appellantur.

Reduco III. Sacri Ordinis characterem. Nam ad Episcopatum eligi nequit, qui S. Subdiaconatus Ordine saltem 6. mensibus antea Electionem initiatum non fuit ex Concil. Trid. Sess. 22. de ref. cap. 2. Ad Prælaturas inferiores Sacer. Ordo non quidem in actu, sed in potentia desideratur, ut scilicet eligendus intra annum, à die adeptæ possessionis numerandum, in Sacerdotem ordinari velit & possit d. cap. cum in cunctis §. inferiora b. r.

Reduco IV. Virtutis excellentiam. Et primò quidem huc pertinet Pietas in Deum; de qua Gentium Doctor 1. ad Timoth. cap. 4.

pietas, inquit, ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ, quæ nunc est, & futura. Nam DEI Vicarium, DEI Ministrum, DEI Legatum in terris agit Antistes Ecclesiæ: ut ad eò pius & religiosus in DEUM esse, etsi non velit, non tamen non possit. Secundò Justitia, quæ ut privatas, sic & longè magis personas publicas, & longè maxime DEI legatulo adscriptas conceder: suis enim in Evangelio Matthæi 6. dictum est: *querite primum regnum DEI & justitiam ejus; & cetera omnia adjicientur vobis.* His inculcat Divina Veritas Sapient. cap. 1. *diligite justitiam, qui iudicatis terram.* Tertiò Prudentia, quam, ceu omnis Imperii oculum, omnisque regiminis polarem stellam, & Apostolis, & eorum posteris hæreditariam voluit, Divinus Magister, esse, afferens, prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columba. Matthæi 10. Quartò Temperantia, quæ Præfules & utramque fortunam, prosperam ac adversam, moderari, semper in DEUM intentus; & affluentes corporis & orbis illecebras temperare possit, animò semper oçni voluptate superior. Oportet enim Episcopum sine crimine esse, sobrium, justum, sanctum, continentem &c. 1. ad Timoth. 3. Reliquorum Virtutum prolixam coronam pro nunc missam facio.

Petes I. an qualitates corporis aliquid conferant, vel detrahant eligendo? Videtur quòd non. Nam sicut DEUS omnem decorem & pulchritudinem ab intus querit, iuxta illud Psalmi 44. *omnis gloria filia Regis ab intus;* nec externam faciem inspicit, juxta pronuntiatum aliud Cantic. 1. y. 4. *nigra sum, sed formositas:* quoniam, ut glossatur Abbas Mellissus, *nigredo felix, quæ parit mentis candorem:* ita Ecclesia in Sacerdotibus & Ministris non venustatem in facie, non decorem in corpore, sed cultum in anima, nitorem in conscientia examinat. Unde legitimus apud Raynaud. de Calum. sect. 2. serie 3. cap. 25. fat multos, facie detormes, corpore mutilos, & externâ specie profusus inamatos, qui, quòd sanctitate clauerint, regimini Ecclesiastico cum uberrimo bonorum operum fructu præferunt. Gonzalez in cap. de presbytero 1. de Corpore Pnit. num. 4.

Sed nonita, & absque ullo discrimine respondendum. Nam corporis qualitates vel tales sunt, ut non quidem formosum efformet hominem, at tamen nec deformem mutilum, aut debilem effigunt: vel tales sunt, ut aut deformitatem sine rifu vel horrore non conspicuam; aut mutilationem, membri aliqujus principalis privativam; aut debilitatem, cum inhabilitate ad sacras functiones conjunctam

quam, efficiant? Et in priore casu, quin eligendo nihil detrahant qualitates corporis, minus aspectabiles, nullatenus dubitaverim: neque enim de gente Narcissorum suos esse Ministros petit Legislator DEUS, magis animas per animas, quam corpora quaerere solitus, & sollicitus. In posteriore casu vicissim nullus haereticus, quin impedimentum canonicum Electionis non aliò modo, quam dispensatione Pontificià tollendum, inducat: cum nihil verius sit, quam deformes, debiles, & mutilatos irregularitatem incurrere eos. rit. de Corpore Vitiat. non ordinand. quæ quòd eligibilitatem impediatur, sequens docebit §. num. 254.

235 Quòd autem ejus fortis homines rectè arceantur à ministeriis Ecclesiasticis, ipsorum Gentilium, corpore vitiatos ab idolorum sacrificio & sacerdotio repellentium, religio, de qua testatur Tacitus, Seneca, Dionysius Halicarnasæus apud Gonzalez d. l. n. 6. probat.

236 Existimant enim, solius naturæ lumine imbuti Ethnici, ex pravo corpore non argui bonum animum, ut Seneca lib. 4. consero. 2. innuit, Sacerdos non integri corporis iniquens, quasi mali omnis vitanda est; & Stobæus serm. 1. asserens; nec quòd deforme est, suspitione caret. Sicut econtra ex gratiori alpe dū gratiore animi compositionem mensurabant, ex noto versiculo:

Gravior est pulchrò veniens? è corpore virtus.

237 Idipsum antiqua Lex, DEI digito consecrata, perhibet, dum hominem, qui habuerit maculam, qui cæcus fuerit, qui claudus, qui parvus, qui grandis vel torso naus, qui fractò pede, qui manu, qui gibbus, qui lippus, qui albuginem habens in oculo &c. non permittebat offerre panes DEO suo, nec ad ejus ministerium accedere. Cujus constitutionis mysticum sensum referat Magnus Moralium Doctor D. Gregorius in cap. hinc etenim 1. Dist. 49. Unde quæ in Lege Veteri Divinà ordinatione præcepta sunt, meritò in Lege Nova reassumptis Ecclesia; probè conscia, majorem corporis & animi puritatem ad offerendum Corpus & Sanguinem Domini, quam ad panes propositionis & victimas animales requirit. Videatur Gonzalez loc. cit.

239 Petes II. an generis nobilitas in eligendo spectanda sit? Spectandam esse, sacra & profana Volumina commendant. Nam in Deuter. cap. 1. legitur: tui de tribubus vestris viros sapientes, & nobiles: constitui eos principes, & tribunos, & centuriones, & quinquagenarios, ac decanos. Quò respexisse videtur Concilium Lateranensè, relatum in cap. de multa 28 de Præbend. & dignitas, dum sublimis, id est (ut aliis interpretantur) nobilis, & literatas personas majoribus beneficiis honorandas esse, decrevit. In Jure Civili varii sunt textus in l. honor 14. §. 3. ff. de Muner. & honor. l. honores 7. §. 2. ff. de Decurion. l. doctissimi 63. §. 1. Cod. eod. Accedit ratio: quia, ut docet Philosophus, plerumque meliores, qui ex melioribus. Translit enim, ut facundè scribit D. Balthasar Braun saepe cit.

tract. de Magistrat. cap. 5. §. 2. n. 15. à parentibus sanguis in liberis, cum sanguine vita, cum vita mores, cum his virtutes. Et licet subinde ab avita vita ad avia declinet generosa mens, tamen postquam

Multa redit virtus animo, multumque recurrit Gentis bonos,

Revocat se, & gaudet, atque dignum tantis Auctoribus se reddere conatur.

Nempe sola etiam memoria paternorum decorum ingens calcar ad sequelam habet. Exadverso, quid humilii & obscurò loco generati agant, quid meditentur, ubi ad dignitates ascendunt, graphicè depingit Claudianus lib. 1. in Eutrop.

Asperius nihil est humilii, cum surgit in altum, Cuncta ferit, dum cuncta timeret; desavit in omnes,

Ut se posse putet esse,

Non spectandam esse nobilitatem, decidit Gregorius IX. in cap. venerabilis 37. de Præbend. eò quòd non generis, sed virtutum nobilitas, vitæque honestas gratum DEO faciant & idoneum servitorem; ad cuius regimen non multos secundum carnem nobiles & potentes elegit, sed ignobiles ac pauperes: quia non est personarum acceptio apud ipsum; neque, ut loquitur Gregorius M. in cap. sicut excellentiam 48. XXIII. q. 4. apud Deum gradus excellentior, sed vitæ melioris actio comprobatur.

Suffragatur ratio: quia, si officia publica, etiam Ecclesiastica, nobilibus deferantur, deficit simul virtutum: cum mortalium corda eam habeant innatam teneritatem, ut nullò illicio vehementer in virtutum semitam pertrahantur, quam præmiorum & honorum expectatione.

Mibi, expendis utriusque placiti meritis arbitrium, quod Eruditissimus & Nobilissimus commentator Gonzalez ad cit. cap. venerabilis num. ult. hac in controversia interposuit, placet. Nempe nobiles genere, & nobiles virtute in Electione suscipiendi sunt. Virtus basis & fundamentum est, in quo securissimè quiescit suscepta dignitas. Genus autem ita honorandum est, ut, si equalibus prærogativis insignes, nobilis & plebejus, concurrant, nobilis antecedit; si autem alter solà nobilitate, alter literis & virtutibus animi ornatus sit, posterior priori præponitur. Vide etiam quæ ad propositum argutè elucubrat citatus D. Braun.

Petes III. an habendus sit respectus ad locum & domiciliū: sitne quis de gremio vacantis Ecclesiæ, vel extraneus? Resp. affirmativè. Textus in cap. nullus 13. cap. abiturum 16. Dist. 61. cap. metropolitanano 19. Dist. 63. cap. nepro defectu 41. h. t. in quibus aperte disponitur, Pastorem ex ipsius Ecclesiæ vacantis gremio eligendum esse. Ratio est: quia indigenæ non solum perspectius noscunt subditos, sed etiam mores, ritus, & consuetudinem loci, pro quo faciendæ est Electio. Conferat leges plurimum ad felix regimen, & homines & leges loci regimini cognoscere, teste Poëta, qui de Principe canit:

Prin.

Principis est virtus maxima, posse suos.

247 Per hoc tamen non prohibentur electores extraneum eligere; præcipuè, si doctos, quibus inclarescit, plurimum spem de voto re-

gimine polliceantur per cap. cum nobis 19. & cap. cum inter 21. h. t. P. König ad h. t. n. 36. Spengler d. cap. 4. n. 8. P. Reiffenschuel n. 233. P. Krimer n. 18. 47.

§. IV.

De Vitiis, quibus Eligendus carere debet.

248 Ad vitia, quæ submovent eligendum ab infula, pertinet I. infamia, non tantum juris, sed & facti (modò notabilis sit, ut temperat Molina citandus) per cap. meminimus 13. & cap. accedens 23. de Accusat. cap. infamibus 87. de R. f. in 6. l. un. Cod. de infam. l. 2. Cod. de Dignitat. Molina de f. & f. lib. 4. dist. 11. num. 1. D. Spengler cap. 4. n. 23.

249 Pertinet II. ambitio, quando quis vel Electionem importunè & opportunè affectat cap. in scripturis 9. cap. sciendum 10. cap. qui Episcopatum 11. cap. sunt in Ecclesia 19. VIII. q. 1. quia, ut loquitur D. Gregorius in d. cap. in scripturis: sicut locus regiminis desiderantibus negandus est, ita fugientibus offerendus: vel in Electionem, jam factam, ante formatum & publicatum Electionis decretum, consentit cap. cum post 45. n. 2. quoniam tam præpropere acceptatio animi præposterum indicat.

250 Neque reponas illud Paulianum: qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat. Nam, ut textum hunc interpretatur D. Augustinus, Apostolus exponere voluit, quid sit Episcopatus: quia nomen est operis, non honoris. Gratum enim est, atque inde dictum vocabulum, quòd ille, qui præstitur, eis, quibus præstitur, superintendit, curam eorum scilicet gerens. Ergo Episcopos, si velimus, latè superintendentes possumus dicere: ut intelligat, non se esse Episcopum, qui præse dixit, & non prædesse. Hæc & plura Augustinus in cit. cap. qui Episcopatum. Pignatelli. tom. 10. consule 99.

251 Pertinet III. simonia. Quando enim vel ab eligendo, vel, edicente, aut cooerante, imò etiam ignorante, aliquid datum est in cuitu Electionis faciendæ, Electio non tenet per cap. si alienus 53. h. t. cap. ex insinuatione 26. & cap. nobis 27. X. junctâ Extravag. 2. de Simonia inter commun. at de hoc plura in tom. 3. lib. 5. tract. 2.

252 Pertinet IV. Censura Ecclesiastica, quæ, licet in se crimen & vitium non sit, vitium tamen & culpam ex parte censurati præsupponit cap. nemo Episcoporum 41. & seq. XI. q. 3. & id eò eligendo impedimentum facit cap. cum dilectus 8. de Consuetud. cap. postulasti 7. & cap. ult. de Clerico excommunicato. Ex quo ultimo textu deducunt plerique Authores cum Zoëfio hic num. 29. Electionem de persona, minori excommunicatione ligatâ, non irritam, sed irritandam esse.

254 Pertinet V. irregularitas, sive ex defecto proveniat, sive ex defectu; non quòd expressus textus id evincat, veluti accuratè examinavit Suarez de Censur. dist. 40. sect. 2. n. 36. & seq. sed quòd evidens ratio id ostendat: cum irregularis, qui nequeunt officium peragere, per necessariam sequelam nequeant frui be-

neficiò per cap. ult. de Rescript. in 6. P. Wiestner ad h. t. n. 68.

Pertinet VI. si quis scienter & sponte in Electionem, de sua persona, per abusum secularis potestatis factam, consenserit cap. quisquis 43. h. t. Cum enim ex dictis à num. 42. Laicis autoritativa Electio sit inhibita, sub comminatione diversarum penarum, quas ordine refert Gonzalez ad idem cap. n. 7. etiam eligendis à Laico est interdictum, ne tales Electiones rati habeant, sub poena ineligibilitatis: ut nempe in eo, in quo deliquerunt, puniantur.

Pertinet VII. plurimū beneficiorum incompatibilium retentio citra Pontificiam dispensationem cap. dudum 54. h. t. Extravag. excoerabilis Joannis XXII. de Præbend. quia, qui sine indulgentia Apostolica plura, quam oportet, possidet beneficia, indignum se reddit, ut ex aliorum benevolentia novum consequatur.

Pertinet VIII. si ob vitium personæ, tenens se magis ex parte animi quam corporis, Electio semel casta sit: tunc enim illa persona deinceps ineligibilis efficitur cap. super eo 12. h. t. cap. gratum 2. de Postulat. cap. ad petitionem 22. de Accusat. quia nimirum vitium, ob quòd Electio est irritata, perduræ præsumitur arg. cap. testimonium 54. de Testib. & cap. semel 8. de R. f. in 6. Gonzalez ad d. cap. super eo num. 2. & 6. Wagnereck in Exeg. ibid. Leurenium quest. 291.

Dixi: ob vitium personæ. Enimverò si propter vitium ipsius Electionis, seu formam non servatam, Electio improbatâ sit, nil obstat, quò minus antehac electus, de novo possit eligi: quia neque antehac odii quis gravari debet cap. non debet 22. de Reg. Jur. in 6. neque res, quæ culpâ caret, in damnum vocari cap. cognoscens 2. de Constitut. Panormitanus in d. cap. super eo n. 7. Gonzalez ibid. n. 6. Leuren. q. 292. n. 1.

Dixi iterum: tenens se magis ex parte animi quam corporis. Eream si propter defectum corporalem, puta ætatem, morbum &c. electus sit repulsus, & defectus postmodum sublatus, probabilis est, quòd ineligibilis non maneat per cap. cum inter 21. h. t. ubi in secunda Electione illius, qui ob morbum epilepticum in prima Electione repulsus est passus, S. Pontifex solum inquiri jubet, an morbus ille etiamnum duret? Quòd jubere intermississet, si secunda Electio non potuisset valere. Panormit. cit. l. Laymann in d. cap. super eo n. 2. P. Wiestner h. t. n. 72. Et ratio est: quia, cessante causâ ineligibilitatis, cessat effectus; & remotò impedimentò, redit pristina habitas. Quòd non ita se habet in morbis animi,

mi, qui ex præsumptione Juris firmiores agere radices, ac perpetuitatem fovere censentur.

260 Scilicetaberis I. an aliquis seipsum eligere possit? Responso communissima est negativa propter textum in num. 249. recitatos; & rationem sedicem: quia sibi ipsi sumere honorem nullus debet, sed qui vocatur à DEO tanquam Aaron cap. in scripturis 9. VIII. q. 1. & quia inter dantem & accipientem debet intercedere distinctio personalis per cap. fin. de Insuper. cap. per nostras 26. de Jure Patron.

261 Sed ponamus hunc casum. Titius, in Ecclesia Collegiata B. constitutus, scit indubitare, omnes suos Collegas vel ob animi vel corporis vitium esse ineligiblees, imò Prælatorum proflus indignos. Quid agendum? An unum ex illis assumet? Reclamat conscientia; contradicit justitia; prohibet ratio. An extraneum aliquem vocabit? Sed neminem noscit. An ab eligendo desistet? Neque hoc consultum apparet: vel quia sine aliorum diffamatione non potest resignare votum; vel quia à Præfide Electionis non permittitur.

262 Resp. ad casum, non facile evenibilem, & dico: Vel Electio celebratur per scrutinium planè secretum; vel per scrutinium commune? Si per scrutinium planè secretum, poterit elector, nemine conscio, vacuum schedam in urnam conjicere, sicque ab Electione absinere. si ita expedire judicaverit. Si per scrutinium commune: tunc, quia rationem voti vel collati vel resignati reddere cogi potest, aut defectus occultos manifestare tenetur, si quem ex inhabilibus eligendum cum dispendio publico timeat, juxta inferius dicenda; vel omnino cessare, quid quid alii protestentur in contrarium.

263 Illud à perisque comprobatum reperio, esse aliquem subinde in sui Electionem consentire, ac suo consensu ex votis æqualibus aut insufficientibus majora facere. Vel enim Electio celebratur per scrutinium aut (quod magis esse possibile) compromissum commune; vel secretum? Si primum; procedit, quod diximus, approbante sic Rota Rom. in rec. p. 19. tom. 1. dec. 141. n. 25. & Sac. Congregatione in una Mauthernens. Elect. apud Card. de Luca de Canon. disc. 26. n. 2. quia vocatus & electus ab aliis non tam eligit, quam suæ vocationi & Electioni præbet assensum. Et ideo, si septem sint compromissarii, & tres eli-

gant per vota communia Sempronium compromissarium, illeque intelligens consentiat; censetur esse per majora electus. cap. cum in Jure 33. h. t. Si secundum; idem non 265 procedit: quia, qui scrutiniò secretò electus Electioni consentit, dum nescit ab aliis electum, potius se eligit, suamque Electionem principaliter intendit, quam Electioni aliorum assentit. Unde, quia in Electionibus Regularium vota per scrutinium secretum, explicatò modò, conferuntur, nequit aliquis suo consensu facere majora; sicut nec in aliis Electionibus, in quibus servatur forma cap. quia, propter 42. h. t. Rota cit. l. n. 2. Panormitanus ad cit. cap. 33. n. 5. §. Ideò possimus etc. Gonzalez ibid. num. 7. Leuren. q. 296. Card. de Luca ubi supra à n. 4.

Scilicetaberis II. an electus, impedimentò quòdam occultò detentus, possit in Electionem consentire? Ratio dubitandi est: quia nimium grave & acerbum est, quempiam sui ipsius accusatorem & infamatorem agere; quod facere necessum esset, si quis occultò impedimentò constructus Electionem acceptare non posset. Sed

Negative respondendum esse opinor cum 267 P. Engel h. t. n. 45. propter urgentem textum in cap. innotuit 20. de Elect. ubi proponitur Electio Archidiaconi ejusdem, ex illegitimis natalibus oriundi, diciturque, quòd S. Pontifici secretà confessione monstraverit, conscientiam aliquantisper ex natalibus esse laesam; quòdè sponse & humiliter suum malaverit conspici reatum, quam laesam conscientiam thronum confidere pastoralis. Ergo supponitur, impedimentum fuisse occultum, & electum non potuisse Electionem acceptare sine dispensatione Pontificia.

Neque periculum infamie taliter impedito 268 imminet: nam ex eo, quòd Electionem acceptare nolit, non tam suspicio latentis impedimenti, quam opinio Christianæ demissionis generari potest. Ratio autem hujus resolutionis delumi debet ex iis, quæ in tract. de Jure Legali cap. 1. n. 275. de Legibus, poenas privativas infigentibus; item de Legibus irritantibus & inhabilitantibus num. 329. resoluta sunt. Ubi etiam in num. 320. videri potest, quid respondendum sit, quando Lex irritans in poenam criminis est constituta. Interim, secutà dispensatione, super occulto defectu, convalescit Electio, prout resolvit Rota in rec. p. 5. tom. 2. dec. 603. n. 50. & seqq.

§. V.

De eligendo digniore.

270 Inter eligendos habendus est selectus, ac, si plures honorum Candidati, moribus & meritis insignes, occurrant, illi clavus aut claves sunt consignande, qui alios virtutibus & prærogativis antecellit.

271 Dicit equidem Passerinus de Elect. cap. 30. num. 5. „ quærimus digniorem, ubi vix possumus reperire dignum: quàm pauci enim inter homines reperiuntur tales, qualem de-

272 In tali ergo casu faciendum est, quod monet, & mandat Concil. Trident. Sess. 24. de ref. cap. 1. hæc in verba differens: electores, alienis peccatis communicantes, mortaliter peccare, nisi quos digniores & Ecclesia magis utiles ipsi judicaverint, præfici diligenter curaverint. Mandant hoc ipsum antiquiores Canones in cap. licet ergo 15. VIII. q. 1. ibi: qui præstantior est ex omni populo, qui doctior, qui sanctior, qui in omni virtute eminentior, ille eligatur ad Sacerdotium. Item in cap. Metropolitanano 19. Dist. 63. ibi: ex Presbyteris ejusdem Ecclesie Diaconus optimus ordinetur. Mandant sacræ pagine, dum Joannis 21. referunt, Petrum in Christi Vicarium electum fuisse, non tantum quia Christum quomodocunque, sed plus his, hoc est, ardentiori, quam omnes

273 Apostoli, amore dilexit. Et ratio manifesta est: tum quia iustitia legalis, non tantum in muneribus ecclesiasticis, sed etiam politicis exigit, ut eligentes bonum commune omni meliori, quò possunt, modò promoveant: tum quia iustitia distributiva præcipit, ut in officiorum publicorum distributione illi, qui potiora habent merita, cæteris anteferantur: tum quia ex iustitia commutativa per pactum tacitum eà conditione electoribus eligendi jus concessum fuisse videtur, ut illud in summum Ecclesie bonum usurpent: tum denique quia Ministros & Vicarios Christi decet, vel maxime Christo conformes & conformes esse, ut pote ad quos præprimis pertinet illud Mathei cap. 5. §. ult. estote perfecti, sicut Pater vester celestis est perfectus. Unde Trid. synodus tam loc. cit. quam in sess. 6. de ref. cap. 1. emphaticè proposuit: Ecclesiarum regimen esse onus, Angelicis humeris formidandum, adeò ut, si præri magnitudinem expendatur, nunquam satis tantum videri possit. Latè & pulchrè Gutierrez Quæst. Canonic. lib. 2. cap. 11. num. 1. & seqq. Hinc laudabilis ubique ferè locorum invaluit consuetudo, ut electores expressum deponant juramentum de eligendo digniore. Ex quo

274 Colligitur I. sententiam illorum, qui olim docuerunt, vel nullam, vel non gravem esse obligationem, eligendi digniorem (de quibus agit P. Cardenas Crisi Theol. dissert. 28. cap. 1. & 2.) nunquam ab intrinseco fuisse probabillem. Et, licet Concilium Tridentinum explicare voluerit, quòd per ly digniorem solam dignitatem eligendorum significaverit, sumptò comparativò pro positivo; vel locutione minus propria posuerit digniores, ut excludat indignos: at tamen hæc ipsa explicatio fuit erronea, & propterea ab Innocentio XI. Anno 1679. 2. Martii inter alias propositiones, tanquam scandalosa & in praxi perniciofa, proscripta. Videatur Cardenas loc. cit. & Clariss. P. Guetrather cap. 3. §. 4. à n. 3.

275 Colligitur II. quamvis in Concil. cit. Sess. 24. cap. 1. ab initio & in decursu solum mentio fiat de Electione Cardinalium & Episcoporum; illius tamen & Innocentii XI. Pontificis Sanctissimi decisionem ad Regularium aliorumque Prælatorum, animarum curam habentium, Electionem extendendam esse: partim P. SCHMIELE JURISPR. CAN. CIV. TOM. I.

quia in fine cit. cap. generaliter statuitur: nihil magis Ecclesia DEI esse necessarium, quam ut bonis maximè & idoneis pastoribus singulis Ecclesiis præficiatur: partim quia in sess. 6. cap. 1. decernitur indelictè: ad Ecclesiarum regimen maximè dignos esse assumendos: partim quia rationes, in num. 74. allatæ, perinde in Episcoporum, quam aliorum Prælatorum Electione stringunt. Rota in rec. p. 1. dec. 65. n. 8. Barbosa de Offic. par. cap. 2. n. 100. Passerinus d. cap. 30. à n. 67. P. Guetrather d. §. 4. num. 10. His ita deductis,

276 Ambiges adhuc I. quisnam ergo censetur esse dignior? Resp. dignum cenentur, qui prærogativis, in §§. antecedentibus explanatis, splendet, vitis & impedimentis, ibidem enumeratis, caret, ac Ecclesie profuturus esse creditur: digniorem verò repertur, qui adstructas qualitates in gradu perfectiori possidet, & consideratis omnibus, Ecclesie magis profuturus esse, prudenter speratur. Gutierrez Quæst. Canon. cit. lib. 2. cap. 11. n. 63. & 64. Unde non sola scientia quantumcunque eminentis; non sola probitas, quantumvis excellentis, aliquem digniorem facit: sed major utilitas, quam aliquis, talentorum à DEO concessorum adminiculò, Ecclesie pariturus esse conjicitur, majorem dignitatem efficit. Passerinus loc. cit. n. 141. una cum integro carologo DD. secutus Ducem Angelicum D. Thomam 2. q. 67. art. 1. ad 3. & 2. 2. q. 185. art. 3. & decisiones Rotæ Romanæ.

277 Ambiges II. quantò opus sit diligentia, ut 280 inquiratur dignior? Resp. morali, seu medicri: nam talis diligentia non est ultra sed juxta vires infirmitatis humanæ: neque major ordinariè in aliis functionibus à Jure requiritur, ut constat ex cap. no. de Scrutin. in Ord. faciend. Passerinus d. l. n. 179. & seqq.

278 Ambiges III. utrùm liceat uti scientià Confessionis, ex qua aliquis eligendi, cæteròquin optimæ famæ & existimationis, indignitatem novit? Resp. contra Zosium hic n. 53. minime hoc licere. Ratio est: quia scientià Confessionis, quam accipit Confessarius, non ut homo, sed ut DEUS cap. si Sacerdos 2. de Offic. Ordinari. ad forum externum applicari nec valet, nec debet: cum aliquo & sigillum frangeretur, & Confessio penitentibus quam odiosissima redderetur. Passerinus de Elect. cap. 29. num. 18. & seqq. P. Guetrather d. cap. 3. §. 4. n. 21. & seqq.

279 Ambiges IV. utrùm scientià occultà, sed aliunde quam ex Confessionali acceptà, uti quis in tantum debeat, ut teneatur eam aliis, ad impediendam Electionem, communicare? Resp. non teneri, nisi Electio in Ecclesie perniciem esset redundatura. Ratio est: 284 quia delictum occultum proximi non licet manifestum facere, nisi cedat in detrimentum Reipublicæ vel tertij; uti suo tempore videbitur.

280 Ambiges V. an liceat eligere minus dignum, quando per talem Electionem potest impediri Electio indigni? Resp. cum P. Verani ad